

2133

A S C E T I C I.

2134

exarata, cujus initium: *Interrogandum est quis primus rogauerit deum ut anime habeant requiem in penis inferni &c. Pauli Αναβατινον* edisseritur in *Fabricii Cod. Apocr. N. T. P. I. p. 943.* Memoratur tamen ibi etiam Revelatio nostra, quam *Καραβατινον* dicas, e *Cod. Coll. Merton. Oxonii*, quamvis Codex ille Inferno substituat *Purgatorium.*

DLXI. —

<sup>294</sup> Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 289. f. partim lineis longis, partim per 2. columnas exaratus, olimque *Monasterij Sancte Marie alias Scotorum wyenne*, complectitur sequentia. I. *Incipit liber de habundancia exemplorum Magistri Alberti Episcopi Ratisponen. ad omnem materiam.* Initium: *Quoniam plus exempla quam uerba mouent secundum Gregorium &c.* Finis: *quod non valde timeat omnis homo.* Editus est Libellus hic Sec. jam XV. f. l. et a. sed, ut videtur, *Ulmae per Joh. Zeiner* circa 1480. f. hoc eodem Titulo, quo tamen illum neque in *Opp. omnib. Alberti Lugd. 1651. T. XXI. f.* in quibus plane desideratur, neque in *Scriptt. O. P.* reperies. At vero *Tritbemius* alio illum Titulo n. 466. repraesentat, scilicet *de Multiplici Timore*, quo etiam a *Quetifo* et *Echardo T. I. p. 181.* citatur, quin tamen eum tractasse videantur. Summe itaque rarum esse oportet. Repetitur ad calcem *Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

*Cod. nostri Titulus superior, additurque scriptionis annus 1434.*

II. fol. 65. p. 2. *Decreta Concilii Basileensis lata Sess. XXI. de Cultu divino in Ecclesia et Choro.* Prout leguntur in *Collect. Labb. edit. Venet. T. XVII. col. 317. Decr. VIII. pro: Missa — per secretas orationes ita submissa voce dicitur, quod a circumstantibus audiri non potest, recte habetur: praeter secretas orationes &c.* In fine subditur: *Datum Basilee in sessione publica die iouis mensis iunij Anno 8<sup>o</sup>. 35. idus scilicet 5 ante festum pentec.*

III. fol. 68. *Brevis Tractatio de triplici Indignitate accedendi ad Sacramentum Altaris orta vel a natura, vel a gravi peccato, vel a censuris ecclesiasticis.* Initium: *De perceptione venerabilis sacramenti dicit apostolus priore ad Cor. XI<sup>o</sup>. Qui manducat indigne &c.* Finis: *ut in ca<sup>o</sup> eos de sententia excommunicationis preallegato libro 6<sup>o</sup>.*

IV. fol. 73. *De vicio proprietatis religiosorum, vel, ut ex calce praeoccupo: Excerptum ex tractatu magistri ac fratris birrici de Coesueldia ordinis Carthusien. contra proprietates religiosorum.* *Westphalus* hic, Priorque *S. Mariae prope Montem S. Gertrudis in Hollandia*, defunctus 1410. multa reliquit inedita, quae habes in *Tritbemio*, in *Petreji Bibl. Carth. p. 127.* et *Bibl. Belg. Foppenii T. I. p. 438.* inter quae et *Opus nostrum.*

N n n

V.

V. fol. 90. Incipit excerptum ex tractatu magistri theoderici de monasterio sacre Theologie professoris misso venerabilibus sororibus conuentus sancti egidij monasterien. ordinis sancti benedicti. Capitibus XIII. agitur de Paupertate religiosa et vitio Proprietatis, suadeturque C. 11. Virginibus his, ut modum Carthusianorum circa possessiones suas adoptent. Initium: *Modus, quem tenetis est iste quod quelibet ex vobis cui placet de licencia abbatisse tollit redditus annuos qui occasione sui proueniunt monasterio, et expendit seu consumit illos redditus, pro sua personali utilitate et pro suo commodo, et dat etiam si vult de illis aliquas elemosinas vel alias conuertit in pios usus &c.* Finis: *vestigia vix apparent, nouerit oportunum.* *Compilatum anno domini 1412. ipso die beati Iheronimi — per me Theodericum de monasterio &c.* Non est confundendus Vir hic cum juniore Ομωνυμω O. M. qui diem obiit 1515. Pro nostro jam 1425. piaculare Sacrum ab Uniuersitate Studiorum Colon. factum fuisse testatur Harzbemius *Bibl. Colon. p. 303.* Scripta ejus enumerat Fabricius in *B. M. Lat.*

VI. fol. 98. Ex tractatu magistri nicolai gaur de tribus substantialibus ordinis. Paupertate scil. Castitate et Obedientia, de quorum primo tantum in his Excerptis agitur, hoc initio: *Dominus Innocentius papa dicit, quod abbas non potest concedere monacho quod habeat aliquam admini-*

*strationem aliquarum possessionum &c.* Ad calcem: *De hoc satis ex tractatu magistri nicolai, et continuo: Ex epistola ad abbatem in camp. — Ad abbatissam in Hompe prope dauentriam de ordine sancti bernardi. — Aliud Fragmentum, quod incipit: Predilecti mei in christo, qui habent specialia bona &c.* Item eiusdem ex alia epistola. — *Ex alia ad abbatem in Camp. — Item ex alia epistola. — Ex alia epistola eiusdem. — Denique ad calcem: Completum est operis presentis scriptura in festo beati Ciriaci martiris hora vesperorum per ma — —.* Itaque haec omnia ejusdem de Paupertate religiosa argumenti ad eundem Nicolaum Gauer referenda censeo, cujus *Sermones Cod. DCCLXVI.* indicavi jam ibi altum de eo Scriptorum silentium miratus, nisi forte sub *Nicolao de Susato*, vel *de Creuczenach* lateat, ut tum suspicabar. Opus ejus *de Tribus Substantialibus* Bibliotheca *Aug.* seruat, ut videbis, sed qui ejus notitiam *Tigurinis* dederat, lapsus est in nomine; in *Bibl.* enim *Gesneri* Nicolaum *Baur* pro *Gaur* habes. Virum cetera doctum et late notum ex praesentibus *Excerptis* discere licet.

VII. fol. 107. p. 2. *Tractatus de ecclesiastica potestate domini* (Petri de Alliaco Card.) *Cammeracen.* seu, ut plenius in *Opp. Gersonis T. II. P. I. col. 925.* *de Ecclesiae, Concilii Generalis, Romani Pontificis et Cardinalium Autoritate*, ubi scriptus dicitur in

2137

## A S C E T I C I

2138

in Conc. Constant. a. 1417. et incipit: *Christi nomine invocato, cui data est ipso teste omnis potestas &c.* Finis: *me illis, qui contra premissa opponere voluerint, responsurum.*

VIII. fol. 127. *Tractatus de exemptionibus.* Initium: *Questio proposita fuit, utrum expediat exemptiones et privilegia Religiosorum reuocari &c.* Propugnat Autor Exemptiones, idque maxime in favorem Cisterciensium et contra Fratrem Egidium, qui est Aegidius Columna five Romanus O. S. A. cujus fertur Opus contra Exemptos. Tempus scriptiois colligas ex his col. 2. verbis: *praesertim cum tertius articulus concilij de quo agitur sit de reformatione uniuersalis ecclesie — et specialiter propter grauamina que exemptis et privilegiatis ab ordinariis inferuntur.* Concilium istud Viennense generale est, coeptum a. 1311. quod itaque *Noster* Scripto suo praueuissse videtur. Verum quis ille? Librarius enim pro solenni aevi sui fœcordia, quae Bibliographorum crux est, nihil mutit. Fol. 130. p. 2. lego: *Est dicendum prout habetur in quodam tractatu qui incipit: Saluabo gregem meum Et in quodam breuiori qui incipit: quia in paucioribus via magis &c. diffusius declarauit &c.* Adeo Bibliothecam PP. Cisterc. Bertr. Tissier, et inuenio T. IV. p. 261. *Jacobi de Thermis Abb. Caroliloci Tractatum contra Impugnatores Exemptionum,* qui incipit: *Saluabo gregem meum.* Adeo Bi-

bliothecam Scriptt. Cisterc. Caroli de Visch, et inuenio p. 167. eundem *Jacobum* majus Opus suum in Compendium redegisse, quod incipit: *quia in paucioribus via, idque editum ab Odor. Raynaldo T. XV. Hist. Eccl. ad an. 1312.* Adeo Bibliothecam Belgic. Mss. Ant. Sanderi, et inuenio P. II. p. 106. non tantum utrumque illud *Jacobi* Tractatum, sed praesentem etiam, et plura, quae mox edisseram.

IX. fol. 146. p. 2. *Responsio eiusdem ad quedam que petebant prelati in preiudicium exemptorum et privilegiatorum.* Initium: *Ad illa, que petunt et proponunt prelati contra exemptos &c.* Peculiariter Ordinem suum hic defendit *Jacobus*, idque jam in *Vienna* tempore praefati Concilij, ut habet Codex citatus a Sandero.

X. fol. 148. p. 2. *Ejusdem,* ut titulum a Sanderi Codice mutuem; noster enim nullum habet, *Responsio facta Summo Pontifici Johanni Vigesimo secundo in Auenione post Concilium celebratum in Vienna super quibusdam interrogatis concernentibus Ordinem Cisterciensem.* Incipit: *Vocabis me et ego respondebo tibi. Job 14.* Sanctissime pater nuper placuit vestre sanctitati michi et coabbati meo de pontiniaco sacre Theologie doctori clementer iniungere &c. Nihil de his *Jacobi de Thermis* Scriptis in Conciliorum Collectoribus, quibus tamen Concilij Gen. Viennensis paupertas aliquatenus leuari posset.

XI. fol. 156. *Epistola beati Bernhardi abbatis Clareuall. ad Eugenium papam or. cyst. de congratulacione electionis in apostolicum.* Initium: *Amantissimo Domino suo — Auditum est in terra nostra &c.* Extat edit. *Opp. Mabil.* T. I. col. 233.

XII. fol. 157. *Incipit tractatus beati Bernhardi Abbatis Clareuallensis de consideracione ad papam Eugenium.* Initium: *Subit animus distare aliquid &c.* Ut *Opp. cit.* T. II. col. 407.

XIII. fol. 189. p. 2. *Incipit tractatus eiusdem de diligendo deo.* Initium: *Uiro illustri domino. A.* (in impres. Haymerico) *ecclesie romane diacono cardinali et cancellario — Orationes a me et non questiones &c.* Ut T. II. col. 583.

XIV. fol. 202. *Incipit explicio eiusdem super Missus est &c.* Initium: *Scribere me aliquid et deuocio iubet &c.* Ut T. III. col. 732.

XV. fol. 219. *Tractatus de modo viuendi in communi sub forma questionum.* Incipit: *Circa modum viuendi quorundam deuotorum hominum qui simul in suis domibus vel conductis hospiciis commorantur queri potest utrum liceat eis sic cohabitare &c.* Apologia est *Beguardorum et Beguinarum XI. Articulis* comprehensa et oblata, ut videtur, *Concilii Gen. Viennensis* tempore, quo *Societates* hae variorum errorum et criminum accusatae fuere. *Liquet* hoc ex *Oratione Apologiae* subiecta, quae incipit: *Prestantissi-*

*mi patres et magistri Reuerendissimi. Defensio veritatis agnita presertim que salutem respicit animarum audaciam prestat coram vestris reuerencijs comparandi. — Innotuit enim mihi qualiter quidam se sollicitatorem nominans, cuius vel quorum, ignoro, coram vobis certos articulos proposuerit contra quasdam personas vtriusque sexus parcium almanie quas lollar-dos beggardos svestriones contumeliose nuncupauit, petens eas propter statum earum ut asseruit inibitum et ab ecclesia dampnatum penitus extirpari. Sed quia Reuerendissimi patres plures sunt in partibus inferioris almanie puta in dioc. Traiecten. leodien. et alijs circum iunctis locis persone sexus vtriusque deuotissime et fideliter domino seruientes — ne predictas personas deuotas sub suis propositionibus et petitionibus comprehendere voluerit et sic velit eas similiter cum ceteris ab ecclesia dei penitus extirpari — Idcirco dominationibus vestris statum et vitam predictorum duxi referendum &c.* Subjungit itaque descriptionem horum Coetuum, in quibus nihil, faltem pro aevi illius sensu, reprehendas, additque: *quod non ego solus sed et reuerendissimus pater dominus episcopus traiectensis sub cuius diocesi maior pars earum habitat suis testimonialibus literis diuersis sacri concilij patribus et nobis directis attestatur. Non nihil effecisse Nostrum, prodit Historia; ut enim Clemens V. errores Beguardorum in Concilio damnaverit, successor tamen*

*Johannes*

2141

## A S C E T I C I

2142

*Johannes XXII. Atrebatensi Episcopo negotium dedit, Beguinas, quae se verae pietatis studio addixissent atque ab aliarum abhorrent erroribus, ab obrectatorum injuriis vindicandi. Atqui tales erant et vel hodie sunt Belgicae illae Beguinae. Vide Odor. Raynaldi Annal. Eccl. T. XV. ad an. 1321. cui tamen Απολογητης noster, cujus nomen non extundo, ignotus fuit, licet numerum Aetorum Conc. Viennensis augeat.*

*XVI. fol. 261. Sequuntur conclusiones extractae de libro fratris mathei graben (Grabon) ordinis predicatorum contra premissa scribentis satis scandalose. licet ex loyca quedam ex eis defendi possint. Centum paene post annis Lector hic Conv. Groeningani et Prov. Saxoniae alumnus Conclusiones suas contra devotarias extra congregationem approbatam viventes publicavit, quae a Petro de Alliaco et Johanne Gersone Concilio Constantiensi delatae sunt, et in Opp. posterioris T. I. col. 473. leguntur. Subjicit Noster: Supra scripta prefatus magister nititur defendere. Sed videat ne sibi contingat, sicut buffoni et ieronimo de praga, qui fuerunt in Concilio constancien. incinerati per ignem Anno domini M. CCCC. XVII. Et q. post integrum annum venit iste ad constanciam cum conclusionibus suis prescriptis arrestatus et conclusus ad respondendum ad obiecta et obicienda. Praevenit minas Matthaeus partim recantatione, quam*

*habes loco suprac. col. 474. partim morte, quam in annum 1418. refert Quetif. Scriptt. O. P. T. I. p. 759.*

*XVII. fol. 271. Incipit Liber methody martiris christi Episcopi Ecclesie Paternen. quem illuster vir beatus Jeronimus in eius opusculis collaudavit. Verum non collaudavit ob futile hoc commentum, quod Methodii Patarenensis non est, et quamvis ejus ὁμωνυμῶ Patriarchae CPlitano Sec. IX. ab Eruditis tribuatur, insigniter tamen refictum et interpolatum ad nos pervenisse, cum Codices mss. tum Editiones factae testantur. Initium nobis est: Sciendum nobis namque est fratres, quomodo a principio creavit deus celum et terram &c. Codici graeco Caes. Εξελθοντες ὁ τε Αδαμ και ἡ Ευα ἐκ τῆ παραδεισε παρθενοι ἐτυγγανον &c. Editioni Augustanae c. com. Wolfg. Aytinger 1496. 4. Sciendum namque est, quod exeuntes Adam et eua de paradiso virgines fuisse &c. Ex hac Editione plures aliae expressae sunt, ita, ut mirer Wolfg. Lazium, qui in titulo editionis suae Viennae 1547. 4. Vaticanum istud, quod neque integrum habuit, a se repertum adfirmavit. Laziana recensum dedi in Hist. Typogr. Vien. p. 426. Finis in Cod. praesenti est: Et impij penam patientur, vnde nos dominus eripere dignetur, qui est in trinitate et vnitrate patris et filij &c. Neque pluribus immorari operae pretium est.*

N n n 3

XVIII.

2143

C O D I C E S

2144

XVIII. fol. 274. p. 2. De modo introducendi in themata sermonum et dilatandi materias. Plures extant ejusmodi de *Arte Praedicandi* Tractatus, quorum Auctores adsignare difficile est. Praesens incipit: *Veritas evangelica predicantibus quasi quibusdam paranympbis est commissa &c.* Materiae praecipuae sacris Oratoribus statuuntur decem: *Deus, dyabolus, ciuitas superna, infernus, mundus, anima, corpus, peccatum, penitentia, uirtus.* Ad harum porro amplificationem aperiuntur Loci septem: *Res absoluta, Generatio, Corruptio,*

*Mixtio, Compositio, Oppositio et Vfus rei.* Vides *φρασεολογια* Scholasticorum in omnes se artes insinuasse. Haec denique doctrina exemplis stabilitur. Finis est: *ut perfectus sit homo dei ad omne opus bonum institutus per eum, qui uiuit &c.* Scriptum in concilio Basilien. Anno domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXXIII<sup>o</sup>. Quod Concilium, qui scholam Librariorum dixerit, haud errabit.

XIX. fol. 288. p. 2. Carmina quaedam leonina de S. Leopoldo Austriae Marchione. Anno domini Millefimo. CCC. XXIII.

*Prefulget signis leopoldus marchio dignis  
Cecis in multis claudis paruis et adultis &c.*

Aliud inscriptum: *Oratio ad pium marchionem. austrie leopoldum:*

*O flos primatum decus O leopolde beatum  
Perpetuo gratum. modo quod teneas dominatum &c.*

Aliud, quod incipit:

*Anno milleno ter C. duo XX quoque terno  
Claruit insignis subscriptis marchio signis.*

Sequuntur XIV. illi adtributa Miracula distichis aut tristichis, hac claufula:

*Princeps insignis. Leopoldus marchio dignis  
Claruit hys signis sunt cognita plura benignis  
Est domus bec cuius fundatio spiritus huius  
In celi sede manet bac caro clauditur ede.*

Ex his colligitur, Carmina haec in Collegio Canoniorum *Claustroneoburgensi*, ubi *Leopoldi* ex-

viae conditae sunt, longe antea fuisse, quam ille aris imponeretur.

DLXII.